Paulus Episcopus Servus servorum dei Dilecto filio Cherubino de Flochis fratri ordinis sancti Dominici Salutem et apostolicam benedictionem.

Religionis zelus necnon vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio nos inducunt ut te specialibus favoribus et gratiis prosequentes tibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum est ad nos quidem pervenit quandam concordiam inter dilectos filios Bartholomeum de Flochis modernum et Franciscum etiam de Flochis olim parrochialis ecclesie prepositure nuncupate sancti Georgii Cremonensis rectores prepositos ipsius nuncupate per quam inter alia te in vicarium perpetuum et irrevocabilem eiusdem ecclesie ad curam animarum exercendum et singulis festivis diebus ac infra ebdomadam certas tunc expressas missarum quantitates celebrandum in aliis vero feriatis diebus cum honoribus et oneribus solitis et consuetis in divinis et aliis certis modo et forma tunc expressis deputare necnon pro tui subventione seu elemosina ac mercede usumfructum certarum terrarum perticarum sexaginta vel circa sitarum in clausuris Cremonensis et loco dicto ad sanctum Georgium cum domo et casamentis ad dictam ecclesiam spectantium constituere et deputare ipseque Bartholomeus suo proprio ere et facultatibus quadraginta libras monete illarum partium tibi singulis annis solvere necnon alteri eorundem Francisci et Bartholomei premorientis habitationem domus prioralis dicte ecclesie certo tunc expresso modo tibi dimittere et assignare promiserunt approbavimus et confirmavimus seu approbari vel confirmari mandavimus seu concessimus volentes te asserentem te dicti Francisci fratrem existere et alias tibi ut extra ordinem sancti Dominici quod antea professus fueras et permanere ac interim ut commodius sustentari valeres quecunque beneficia ecclesiastica curata [illegible] obtinere [illegible] in divinis deservire et nonnulla alia tunc expressa facere posse de licentia a sede apostolica concessa fuisse premissorum meritorum [illegible] specialem gratiam facere volentes teque a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati te quoad vixeris in vicarium perpetuum dicte ecclesie cum salario et aliis tibi per prefatos Franciscum et Bartholomeum ut prefertur concessis seu promissis auctoritate apostolica tenore presentium constituimus et deputamus Quocirca venerabili fratri nostro Episcopo Balneoregien et dilectis filiis Johanni Marie Monarino ac Jeronimo de Amidanis canonicis ecclesie Cremonensis per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios tibi in premissis efficacis defensionis presidio assistentes faciant te vita tua durante premissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere Non permittentes te per Franciscum et Bartholomeum prefatos seu quoscunque alios desuper quomodolibet indebite molestari impediri aut inquietari Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem Nos enim exnunc irritum decernimus et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis constitutionis deputationis mandati et decreti infringere vel ei ausu temerario contraire Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum Datum Rome apud Sanctummarcum Anno Incarnationis dominice Millesimo quingentesimo tricesimo sexto Septimo Id. Augusti Pontificatus nostri Anno Secundo

V. Johelarpino[?]

Jo. Ruys[?]

D. de [illegible]

L. de Torres

Ja. de Fiodelici[?]

Jac. Cordello[?]

Jo. diaz

Jo. Fran. de puteobon[?]

Morbio 25 (27)
Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1869930215-14/fragment/page=0001

Bolla del 1536 che admette Due frati alli ... Ongniano ... Jacopo ...

del P. Cherubino Trolli

1536 = 26 = Luglio Tital
Aug. 7

Rta jn Secretaria Aplica

De Torres

Morbio 25
(27)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1869930215-14/fragment/page=0002